



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fidvcia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 2. Cur Deus sæpe differat punire peccatores?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Rom. 9. 33. *scandali, & lapis offensionis, positus in ruinam multorum* fuit: sed non credentium. nam, Luc. 2. 34. *credentibus lapis summus, angularis, electus* fuit, teste S. Petro. 1. Petr. 2. 6. 7.

§. II.

Cur Deus sæpe differat punire peccatores?

D. Dionys. ep. ad Demoph.

Tales Pharisæi etiam nunc reperiuntur, qui inde scandalum rapiunt, ex Mundi gubernatione; unde maximè rapi deberent in admirationem immensæ bonitatis Dei. Ut enim quibusdam nimis seuerus, ita alijs nimis clemens esse videtur. Non repetam hîc, quod alibi attuli è D. Dionysio, de Carpo Episcopo, Idololatram, & eum, qui se ab Idololatra seduci passus est, vita indignos iudicante, agrèque ferente, quòd eos terra sustineret. Ad cuius morem multi vindictâ ardentes, offendi se non dissimulant, si non toties Deus sua fulmina mittat, quoties homines peccant. Non habet Dominus iram compendiosam; longanimis est, patiens est, bonus est, misericors est, justus est; differt, ne præcipitare videatur; patitur, ut det exemplum; expectat tempus, quia expectat pœnitentiam; quæ si non sequatur, moram pœnâ compensat. Hoc pertinet ad infinitam

finitam illius excellentiam, qui, quia in se optimus est, est etiam alijs summè bonus, bonitate, vt vocant, *respectiva*. Hac omnibus creaturis se communicat, sed intelligentiâ præditis, modo insuper peculiari; nempe sub vltimi finis ratione, ad quem vt nos dirigat perducâtque, donis cumulat, & ijs, quibus nos, tanquam causa efficiens naturalis, conseruans, prouidensque regit; & per quæ efficimur *diuina consortes natura*, vt dixit, quem S. Dionysius *Theologorum decus supremum & antiquissimum columen* nominauit. Inter hæc dona autem, sunt variæ virtutes, quas nos vult (etiam indignis benefaciendo) docere.

S. Dionysius cap. 3. diuin. nom.

§. III.

Ex clementia Dei, bonitas illius agnoscitur, nostra excitatur.

Prima est, vt hanc ipsam bonitatem, in Deo agnoscamus & credamus. Nam, vt Clemens Alexandrinus dixit: *bona facere, est Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare*. Sic multorum natura, aut malitia potius velut in naturam versa, est *mala facere*, omnes accusare, omnes calumniari, omnes offendere, instar echini, vbicunque eum tangas, aculeati; immò instar *decem cornua* Apoc. 13.

Clem. Alex. 1. Strom. c. 8.

Z 3

haben= 3: